Fragmentarium

pecunia. Commune adhuc. Multa enim genera pecuniae. Adde quod sequitur. Quae
morte alicuius ad quempiam pervenit. Nondum est definitio. Multis enim modis
sine hereditate teneri mortuorum pecuniae possunt. Unum adde verbum iure; iam
a communitate res diiuncta videbitur, ut sit explicata definitio sic. Heredi
tas est pecunia quae morte alicuius ad quempiam pervenit iure. Nondum est
satis. Adde. Nec ea aut legata testamento aut possessione retenta. Confectum est.
Itemque ut illud. Gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab in
genuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum maiorum nemo servitutem
servivit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est.
Nihil enim video Scaevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse. At
que haec ratio valet in utroque genere definitionum, sive id quod est sive id quod intel
legitur definiendum est. Partitionum autem et divisionum genus quale esset osten
dimus. Sed quid inter se differant planius dicendum est. In partitione quasi
membra sunt, ut corporis caput, humeri, manus, latera, crura, pedes et cetera.
In divisione formae, quas Graeci ideas vocant; nostri, si qui haec forte tractant,
species appellant. Non pessime id quidem sed inutiliter ad mutandos casus
in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus
dicere; et saepe his casibus utendum est. At formis et formarum velim. Cum autem
utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror ne
glegendam. Genus et formam definiunt hoc modo. Genus est notio ad plures
differentias pertinens. Forma est notio cuius differentia ad caput generis
et quasi fontem referri potest. Notionem appello quod Graeci tum ennoian tum prolepsin.
Ea est insita et ante percepta cuiusque formae cognitio enodationis indigens. For
mae sunt igitur hae in quas genus sine ullius praetermissione dividitur. Ut si quis ius in lege
more aequitate dividat. Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem et si
militudine quadam conturbatus non satis acute quae sunt secernenda distinguit. Saepe
etiam definiunt et oratores et poetae per translationem verbi ex similitu
dine cum aliqua suavitate. Sed ego a iuris exemplis nisi necessaria

[Marginal glosses: i. quae haereditas — i. gentiles — id est pars — ydeas — ex prisciani. In fine l. v. — At ea est insita et ante percepta cuiusque forma cognitio enodationis — poetae. — ubi ...]

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 1_4r – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50570)